



# Disputatio politica de rep. mixta ex aristocratia & democratia

<https://hdl.handle.net/1874/340971>

DISPUTATIO POLITICA,  
D E

Rep: Mixta ex Aristocratia & Democratia.

Q V A M

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRESIDIO

Clarissimi Doctissimiq; Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI,

Lib. Art. Magist. & Philosophiæ Practicæ atque

Eloquentiæ in Almâ Ultrajectinâ Professoris,

Publicè defendere conabitur,

MATTHIAS WERMELSKIRCHER Embd. Off-Frif

Ad diem 19 Septemb: horis locq; solitis.



U L T R A J E C T I,

Ex Officinâ JOANNIS a WAESBERGE,

Anno M D C X L I X.

*Nobilissimis, Amplissimis, ac Spectatissimis Viris:*

D. <sup>E</sup>FWONI FEWEN, Inclytæ Embd: Reipub.  
Consuli meritissimo.

D. JACOBO WERMELSKIRCHER, apud  
Nordanos Consuli, è gravissimo, in Frisia Orientali  
Collegii Provincialis Administratori fidelissimo.

D. PETRO WERMELSKIRCHER, Inclytæ  
Emdanæ Reip. civi primario.

D. MATTHIÆ WERMELSKIRCHER J. U.  
Candidato Doctissimo.

D. LEONARDO FEWEN, aggerum Frisię O-  
rientalis Commissario prudentissimo.

D. DANIELI BERCKRINGERO, L. A. M.  
in Acad. Ultrajectensi Philosophiæ Practicæ atque  
Eloquentię Profestori dignissimo, Præsidi ac Præ-  
ceptoris meo in æternum colendo.

*Avunculis Patruis Præceptoris omnibus  
nominibus, obstrictus,*

*Has primitias Studiorum meorum,*

Do, dico, addico.

M. WERMELSKIRCHER

*Autor & Respo.*



# DISPUTATIO POLITICA

DE

## Repub. Mixta ex Aristocratia est Democratia.

### T H E S I S I.



Disputaturi de Rep. Mixta operę pretium esse duximus, ut primo quęstionem hanc, (quia multos graves viros defensores habet,) perpenderemus, nimirum an dentur in rerum natura Respub: quę nomen mixti sibi vindicare possint. Nam nisi hoc evecimus, dari tales Resp. omnis noster labor in cassum abibit.

#### I I.

Vt igitur hanc quęstionem accuratę examinemus, primo huc repetendum ex Aristot: lib. 4. Pol. c. 14. tria nimirum esse, quę pertineant ad Rerumpublicarę formas, & prout hæc tria diverso modo se habent, ita etiam Resp. diverso modo se habere, Nam prout τὸ Κρίσιον constitutum est, ita etiam Resp. constituta est.

#### I I I.

Horum autem trium primum est, quod habeat aliquis potestatem jus constituendi de iis, quę pertinent ad summam Reip. hoc est, consultandi de Rep. Alterum est, quod cernitur in Magistratibus, id est, qui quarum rerum domini esse debeant, quęque eorum creandorum sit ratio. Tertium versatur circa judicia. Quod si quis cognitū habet τὸ Κρίσιον, & qualis sit magistratus, & quomodo se habeant judicia, nę ille facile cognoscet ipsam formam Reipub.

#### V I.

## I V.

*Τὸ Κόριον* est illa prima pars, quæ consultat: consultatio verò pertinet ab bellum & ad pacem, ad fœdera, ad leges sive constituendas sive abrogandas, ad consultandum de morte & exilio civis alicujus. Huc pertinet jus rationes postulandi, sive ius repetundarum, item potestas exigendi rationes à magistratu. Qui hæc in manu habet, quis neget, illum habere jura majestatis, sive penes unum sint, sive cum multis communicentur?

## V.

Sed audimus Bodinum nobis objicere, ac sententiam nostram infringere conari hoc argumento lib. 2. c. 1. Majestatem esse indivisibilem. Nisi hoc de summa ac perfectissima majestate intelligat, falsum est. Plura enim sunt capita ac jura, quorum concursus facit perfectam, quæ quidem tota Majestas pluribus communicari nequit, sed partes interim disjungi nil prohibet, atque disjunctas pluribus attribui, ita ut in singulis sit particula Majestatis, in toto corpore summa ac plena Majestas. Vid. Doctiff. Arnisæ: in Lect: Pol. cap. 8. & Dominū Besoldum in Synopsi Pol. Doct. ubi inquit: Ex hoc axioma, (quod nempe Majestas communicari non possit) non posse deduci, mixturam haut dari, sed hoc potius exinde sequi, quod majestatis jura, si neque sint penes unum, neque penes paucos, neque penes omnes, tum non simplicem sed mixtam Reip. formam esse. Clapm. lib. 5. de arcan. c. ult. Cabotius 2. disp. 4. Equidem non video, quid obstet, quominus hæc jura Majestatis communicari nequeant. Ut exemplo rem declaremus. Ponamus quæso, summam dignitatem, cui ad præstandam reverentiam omnes obligentur: Quam enim Curti lib. 3. nonnullis gentibus ait insitam venerationem, ea verò promovenda est, quia Majestas imperii salutis est tutela. Idem Curt: lib. 9. Sed ne in sola dignitate Majestatem Regis locemus, poterit adjungi potestas conscribendi exercitum, bellum gerendi & paciscendi cum externis ad salutem Reip. quod



quod ipsum scribit Herod. lib. 6. concessum fuisse Regibus Laced. In bello enim maxime requiri unitatem Imperatoris Fabius Max. & Minutius ostenderunt. Plutrach. in Fab. Liv. 22. Præterea, cum gratiosum maxime munus sit, & legibus non alligetur distributio præmiorum, & hæc Regi concedi potest. Nec obstat, quominus jus imperandi tributa, & cuedendi monetam, eidem tutò committi possint, aliaque generis congeneris.

#### V L.

Non autem jura Majestatis ad eum modum dividenda, ut Bodinus instituit, ut populus jus magistratuum creandorum, ærarii publici, vitæ necisque habeat, nobilitati legum ferendarum, belli pacisque, ac tributorum imperandorum jus tribuatur, Regi verò tum universi tum singuli cives jurejurando obstringantur ad fidelitatem & obsequium, sine cuiusquam exceptione præstandum. Singulis enim partibus talia jura concedit, quæ trahant secum universam Majestatem. Summæ enim & plenæ potestatis ea est ratio, ut aliam secum non compatiatur. Hinc Alexander M. Dario, ipsi dimidiam partem sui regni offerente, recusavit, inquit, mundum illustrari ab uno saltem sole, eodem modo etiam conducere regnum ab uno administrari. & sicut Imperator noster sacratissimus dicebat: Quod primum est, aliud ante se habere non potest. Si enim in se mutuo possent stare duæ potestates, neutra esset summa, quo argumento recte utuntur Algazell. disput. 5. dub. 1. & 2. Aver: & Sueffanus cum Iandu 8. Phys. quæst. ult. Contra eos, qui plures Deos uno comminiscuntur, eosque simul infinitos. Iam verò legum de omnibus rebus ferendarum, potestas nulli parti sive ordini soli committi potest, quia cum illa conjungitur imperium omnium rerum. Sed neque ad omnia subditi possunt regi obligari in mixta aliqua Republica: quia & hoc modo omnium eorum summa deponitur in finem regis. Et hoc idem potest dici etiam de aliis generibus.

mixtarum rerumpublicarum.

V I I.

Sed quia leges, aut ad statum pertinent, quarum confirmatio ad omnes partes spectat, aut de rebus aliis feruntur, illas oportet aut jam ante fundationem Reipub. conscriptas esse, aut consensu omnium conscribi, electis ad hoc prudentissimis viris, cum sufficiente potestate. Sic Athenienses Soloni, Lacedemonii Lycurgo id negotii dederunt, & ad eorum leges suis se iuramentis alligarunt. Plutarch. in Solon. Sic Terentillus Arsa Trib: plebis, quinque viros nominari voluit, qui leges omnibus æquas sine præjudiciis ferrent. Liv. lib. 7. Interdum dicebatur Dictator, ut legem perferret. Halycar. lib. 5. Florentini octo aut decem viros creare solebant emendandæ Rei causæ publicæ. Bodinus 2. de Rep. cap. 3.

V I I I.

Si ex empla aliquis poscat, adeat quæso Thucyd. lib. 1. Xenophon. lib. de Rep. Lacæd: certe inveniet *το νόμιον*, si-ve jura majestatis, mixta fuisse. Sed cur vetera commemoramus exempla, cum domestica nobis suppetant. Si velit quis præraque Regna in Christiano orbe examinare, inveniet illa mixta esse. Vid: Carptz. de Lege Regia, ubi ad vivum demonstrat, nostrum imperium Germanicum esse imperium mixtum: imo ipsi catholici non refragantur. Weinegg. disput. de jur. pub. cap. 7. Arniseus in Doct. Polit. cap. 8. Schönberrn: cap. 16.

I X.

Hicce pro ratione nostri instituti in genere præmissis, ad scopum nostri propositi, nempe ad Statum ex Aristocratia & Democratia temperatum, demum progrediendum est, argumentis confirmationis ductis 1. à definitione. 2. Ab institutis. 3. A speciebus. 4. A mutationibus. 5. A cōservatione hujus Reip.

X.

Caterum definitur hic status, Imperium, in quo optima-



mat es ita imperant, ut simul imperii particeps sit populus, sive cives universi, id quod hodie in plerisque urbibus majoribus contingit, ubi mercatores ac ditiores cives omnes participes sunt rerum gerendarum: quia verò in urbibus illis præcipuè debent florere mercatores, & opifices, ideo necessarium erit, ut gaudeant suis privilegiis, quare diffidunt statui monarchico, ac principum ministris. Nam aulicorum ac nobilium vita molesta est mercatoribus. Hinc multæ urbes in Italia mutatae sunt. Nam cum in his urbibus multi nobiles degerent, hi plebem contemptui habuerunt, hoc plebs ægre ferens insurgebat, atque factiones contra ipsos movebat. Exemplum videre est in Florentinorum civitate. Olim quidem mercatura potuit florere, etiam ibi, ubi Monarchia obtinuit, quia minor aulicis erat licentia. Spartani regem quidem habuerunt, sed continensime aulæ. Dux Florentiæ etiam quidem inter medios cives degit, sed absque magno comitatu hominum aulicorum. Veneti ducem habent, sed aulici illius ne minimam etiam injuriam civibus facere audent.

#### X I.

Dicitur in definitione, quod *optimates ita imperent, ut populus simul particeps sit*. Videtur igitur hic status minus obnoxius mutationibus, atque minus injustus. In quo enim statu æqualia tribuuntur æqualibus, in illo statu nemini fit injuria, & si nemini fit injuria, tum nemo cupit hunc statum mutatum, in quo sibi est bene. Cuilibet enim in hoc statu patet aditus ad honores, nemini virtutis via præclusa est, si se saltem dignum illà judicaverit, & quasi verò inter plebeios Deus T. O. M. nõ æque distribuisset sua dona, ac inter nobiles vel divites, Quales Apostoli quæso erant? Certè non poterant

— pertice longo

Sanguine censer, pictosque ostendere vultus

Majorum stantes in curribus. Æmilianos,

& tamen Deus T. O. M. præ aliis hominibus, singularia illis



dona concessit, & hoc non tum temporis factum est, sed hodieque sepe contingere videmus, si verò illi à gubernatione Reip. arcerentur, illis aliquo modo injuria fieret. Nam æqualia debentur equalibus: & ipsa Respub. causam conquirendi habet, si spreto plebjo homine prudenti nobilis aliquis stupidus eligitur. Quales quæso fuerunt primi fundatores Romæ, nonne rustici, qualis fuit Lucius Quinctius? Annon ab aratro ille vocatus fuit, ejusque exemplo alii, quos si recensere vellem, dies me deficeret.

X I I.

Et quilibet pro suo arbitrio in hoc statu vivere potest. Id quod intelligi debet, non ut quisque pro sua voluntate ut distinctus nepos in diem uiuat, sed ut legibus civitatis adstrictus ita vitam degat, ut Magistratui obtemperet. Hoc Spartanam Remp. diu saluam conservavit, quod cives parere scirent; aliàs illa licentia dissolutio quædam esset. Rectissimè atque e-rectissimè Plato: Utillissimum certè est, etiam in ipsa libertate ab alieno arbitrio dependere, neque omnia, quæ facere, libet, sibi permittere eò quòd nulla major peccandi occasio quàm peccati impunitas detur.

X I I I.

Regimen, quod in hoc statu obtinet, dividitur in tres ordines, in ordinem senatorium, Iudicum, & popularè. Numerus senatorius dependet à diversis urbium institutis. Superiores gradus sunt consulum, inferiores senatorum. Vnus tamen designari debet, qui conventus indicat, ibique præsideat, capita deliberationum proponat, suffragia roget, colligat, libellos supplices recipiat, litteras signet, sigillum custodiat, cujus locum obtinet Augustus Vindelicorum duumviri, apud Argentoratenses sunt, qui germanico idiomate dicuntur, *Die ammeister*. Atque hæc etiam in ordine iudicum observanda, quòd passim in bene constitutis urbibus fieri videmus; sed hi non debent esse perpetui, sed statis temporibus invicem sibi succedere. Nam cum pleraque in præsidis

manu

manu sint, facile factionem moliri potest, si sit perpetuus, & ad se Remp. rapere. Experti sunt hoc Romani, cum Iulius Cæsar per novennium gereret summam militarem præfecturam in Gallia. Hinc occasionem nactus ad se rapuit imperium. Horum Tiberius revocavit Germanicum ex Germania, uti legere est apud Tac. lib. 2. & Hispaniarum Rex sæpè mutat suos vicarios. Magistratus hic eligi debet suffragiis, non sorte, ut fit in Democratia. Nam ibi non virtutis, nec generis, nec divitiarum habetur ratio, in hoc vero statu harum rerum ratio habetur, quod commune habet cum Aristocratia. Non debet etiam ratio haberi census in eligendo. Illud enim oliarehicum, hoc verò Democraticum, quamvis interdum omnè censum non negligant. Arist. lib. 4. pol. cap. 4. & 8. Magistratus electus jurare debet in leges fundamentales, si verò peccat contra illas, statim removendus est.

#### X I V.

His cognitis, sequitur ordo popularis, igitur de iis rebus, quæ circa hunc ordinem versantur, agamus. Populus consideratur, vel ut subditus, vel ut Magistratus. Magistratus popularis ex toto corpore eligendus est, & quidem suffragiis, qui ad tempus cum ordine senatorio imperet, ut in Germaniæ civitatibus sunt qui vocantur Die zunftmeister: in quibusdam sunt etiam quadraginta viri, vel centumviri. Horum officium est, videre ne Magistratus Senatorius ad se rapiat imperium, ac cives privilegiis suis privet. Hi quoque eligunt Senatorem, & si quis Senatorum quid committat, ipsum dignitate privant. Quod si Magistratus cives tributis iniquis velit vexare, hi obstant, ut olim tribuni plebis. Ordo popularis, consideratus ut subditus, vel repræsentat ipsos cives, vel inquilinos. Cives, qui debent recipere jura civitatis, & debent juramentum fidelitatis præstare, distinguendi sunt per collegia, scilicet mercatorum & opificum Germanico idiomate appellantur Die zunften vel die gilden.

#### X V.

Differentiæ harum Rerump: sunt tres I In qua prædomina-  
B tur



tur Aristocratiâ 2. Vbi prædominatur Democratia 3. Vbi secundum quid prædominatur Aristocratiâ, & secundum quid Democratia. Vide Keckerm. in syst. pol. lib. 2. c. 5.

X V I.

Cunctis igitur illis recensitis reliquum est, ut de causis hanc Remp. conservantibus loquamur. Quemadmodum enim Medicinæ peritus non habetur, qui de corporis humani partibus satis bene disputare ac differere potest, nisi easdem in statu suo conservare, contra ægritudinem morbosve remedia præscribere, & si quid mali contraxerint, pristino statui restituere noverit: ita quoque Politicus non tantum partes ad civitatem condendam, variasque Rerump. formas cognoscere debet, sed easdem in suo statu conservare. Nam difficilius est provincias obtinere, quam facere, viribus parantur, jure tenentur. Flor. l. 4. c. 12. Usque adeo non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

X V I I.

Primo igitur, omnes leges tam scriptæ quam non scriptæ, quæ Reip. sunt utiles, ad ejusque faciunt conservationem, introducantur. Bonis enim præscriptis legibus observatis non potest non Resp. pervenire ad eam diuturnitatem, quam Lycurgus Lacedæmone instituit, quæ per multa duravit secula. Secundo Magistratus hoc cavere debet, ne sint Publicolæ, & nimis multum populo concedant. Inde enim populus, qui nescit affectus suos domare, fit effrenis, & occasionem movendi turbas nanciscitur. Neque debent populum nimis multum gravare tributis, vel aliis iniquis reb. Id quod probe observât Veneti in sua Rep. Vide Bod. in Meth. sua Hist. p. 261. vel si necessitas exigat imponendi tributa, postea debent rationes reddere, ubi nam impenderint. Alias plebs, quæ nil ægrius fert, quam si debeat de facultatibus suis in publicum conferre, cõtra Magistratus insurgit. Hinc omnes turbæ Neapolitanæ, & hodieque in Gallia, & imprimis incumbendam, ut cives bene affecti sint erga Remp.

X V I I.

Vt ex omnibus bene constitutis Rebus pub. ita etiam in hac arcendi sunt omnes Demagogi. Hi tanquam scabiosæ oves relegandi sunt præcul. Tales apud Romanos fuerunt tribuni plebis, quas turbas hi excitarint, legere est apud Livium Flor. & alios. Vide Arnise: in Doct. Pol. c. 8. Horum locum in christiano orbe obtinent aliqui concionatores, quorum verba plus valent apud plebem, quam ferrum, hi si volunt, cavillationibus, quibus detonant in Magistratum, populum omni reverentiâ, quam Magistratui debet, exuunt. Si his Magistratus frænum non injicit, sed fibulam laxat, conclamat jam est de Repub. Omnes saniores politici hoc inculcant, ut conemur populo incutere reuerentiam ac timorem, ut persuasum sibi habeat, si quid contra Magistratum incipiat, divini numinis vindictam ac ultionem sibi imminere. Quod si Magistratus honesti limites aliquando transgrediatur, tum privatim illum monere possunt, neque opus, ut in conventu totius populi Magistratum nominatim increpent, & ita populo reverentiam excutiant. Nathanus non publice Davidem inculpavit adulterii, non coram populo, sed privatim. Igitur graviter animadverti debet in tales demagogos, qui limites officii egrediuntur.

X I X.

Hæc Resp. convertitur vel in oligarchiâ, vel in ohleocratiâ. Et si in Magistratû cooptetur vilissimi & improbissimi, perq; largitiones suffragia emi possint, tum improbissimis aditus patet ad honores. Si enim Magistratus venalis est, tum omnis justitia exulat. Nam tum justitia plerumq; quoq; venalis est. Nam illi tantum pecuniæ impenderunt, & quod impensum, per fas & nefas iterum corradunt.

X X.

Hiscæ igitur omnibus, quæ faciunt ad sustentationem Reip. hujus probe observatis, non potest non Resp. optime se habere, nisi singulari quodam fato prohibeatur in suo statu permanere. Verum optima consilia interdum non succedunt, & stultissima contra sortiuntur optatum finem, quod videre est



in. *Alex. M. apud Plut; de Fort. Alexand. M. Nihil hic numeris  
Platonis, neque vanis astrorum positionibus tribuimus, sed om-  
nia Dei providentiæ infallibili adscribimus. Deus est, qui erro-  
res prohibet, & permittit, ille est, qui stabilit frangitque Resp.  
Succurrat benignus ille Deus expiranti, & in agone versanti  
nostræ Reip: & auream pacem, atque multorum votis exopta-  
tam tranquillitatem restituat & conserveat.*

COROLLARIA.

- 1 *AN necessario civis bonus etiam sit vir bonus? Dist.*
- 2 *AN liber populus, qui potest sibi ipsi consulere, queat dominicè gubernari? Aff.*
- 3 *AN princeps possit quem privare rei suæ dominio citra pretii restitutionem? Neg.*
- 4 *AN Pontifici competant jura Majestatis circa sacræ? Neg.*
- 5 *AN ex nostro jure civili possit doceri Politica, & quidè perfecta? Neg.*
- 6 *AN leges humanæ violatæ obligent in conscientia? Dist.*
- 7 *Utrum successor, qui utitur plena Majestate, teneatur præcise antecessoris statuta confirmare? Neg.*
- 8 *AN donatio à Constantino M. facta, quam prætendunt Pontificii, vera sit? Neg.*

*Ad Præstantiss. D. Respond.*

**E**ia age, maeste animi, Cognate, Politica Iura,  
Atque artem monstra fulgentia scepra tenendi.  
Quæ tibi proponent scrupulosa Enigmata docte,  
Fortiter enoda, doctaque ligamina mente  
Solve Sophistarum. Non Martis campus, at Artis.  
Armorum fulgor procul hinc, procul absit Achilles,  
Ast in Musarum castris tu prælia sancta  
Fortiter insistas, cunctisque recentior horis,  
Perge ita præfixam studiis attingere metam.  
Digna brabeia teres, nunquam tua fama peribit.

*Hæc posuit honoris ac amoris ergo gratua  
laturus suo Cognato,*

*H. Fewen.*